

ADOLESCENTIBUS LITERARUM STUDIO SIS AUCTOR S.

Quod tribus abhinc annis per redemptorem honestissimum, CAMPIUM D., adolescentibus literarum studiosis et in antiquitate cognoscenda versantibus spondi, id hoc opere perfecto pro parte virili praestitisse mihi videor. Ut enim orbis antiqui speciem, quantum possem, luculentissimam repraesentarem, ipsos rerum fontes adii, per me cuncta inspexi, transmissisque, quorum auctor est aut nemo, aut fide parum dignus, ea congeSSI, congesta d'aposui, quae certa fide tradi posse mihi persuaseram. Quae si quis ea, qua par est, vel diligentia, vel aequitate introspiciet, non videbit deesse, quae, desperata prius, his in tabulis explanentur, vel dubitationi geographorum eximantur, vel mendorum veterum accessione liberentur, vel in melius alias convertantur. Itaque, ni fallor, sperare inducor, fore, ut hinc meliore ad orbem antiquum noscendum via munita ejus rei perscrutandae major cupiditas in animis adolescentium incendatur. Hi enim partes quasdam orbis antiqui velut novas videbunt exstitisse, quae, quum antea desertorum instar in tabulis geographicis descriptae essent, nationum habitaculis, oppidis, montibus, fluminibus distinctae, nunc eorum, qui rerum scriptores et geographos priscos evolvunt, usibus magis respondere videbuntur. Itaque Sarmatia, Scythia, Persis, India, Arabia, Africa specie diversa et certiore, quam qualem antea referebant, his in tabulis comparent. Orbi praeterea Romano, immensis circumscripto finibus, viarum publicarum rationem totam, ex Itinerariis, quae dicunt, excerptam inserui.

Jam vero quid caussae fuerit, quod hac in disciplina quae ante placuerant, plurima censerem mutanda esse, non hujus est loci demonstrare. Quod si quis explorare cupiet, e Thesauro nostro topographico, cujus in altera parte exaranda versamur, et ceteris nostris de antiqua Geographia libellis et commentariis veram rationem repetet. Denique si hos adeundi copia non facta erit, non tamen praeceptor scrutanti deerit, qui voce viva brevius rem explicet.

Quae apud priscos inclaruerunt bellicae expeditiones, earum non sustinui nisi paucas in tabulis describere, quae sunt haec: 1) Hannibalis trans Alpes iter; 2) Caesaris in Arvernos in Gallia Tab. III.; 3) Cyri minoris ex Anabasi Xenophontea; 4) Manlii (ex Liv. XXXVIII.) in Asia minori Tab. XII.; 5) reditus CCIO Graecorum per Armeniam Tab. XIII. Plures describendi cupiditatem repressi, tum quod parum habere momenti videbantur, tum quod scriptores antiqui, regionum ad aspectu destituti, multisque erroribus impliciti, diversa et contraria referendo rei extricandae spem prope praeciderunt. Ejus rei exemplum est Alexandri M. expeditio. Itaque periculum erat, ne iis, quae sunt incerta et ambigua, descriptis, adolescentes confunderentur potius quam erudirentur.

Si quo loco vel calamus vel caelum deliquerit, lector benevolus auctori ab officina nimis remoto id indulgebit.

Ut vero adolescentibus literarum studiosis ex hoc opere qualicumque quam plurimum utilitatis accedat, etiam atque etiam opto.

D. LOBENSTEINII V Idus Quintiles MDCCCXXX.

SERIES TABULARUM.

Tab. I. Circuitus orbis terrarum veteribus cogniti.

• II. Hispania.

• III. Gallia.

• IV. Britannia.

• V. Germania.

• VI. Italia superior; Rhaetia; Noricum; Pannonia etc.

• VII. Italia inferior.

Tab. VIII. Urbs cum adjacentibus regionibus.

• IX. Hellas.

• X. Peloponnesus.

• XI. Thracia; Macedonia; Illyrici et Daciae pars.

• XII. Asia minor.

• XIII. Armenia.

• XIV. Caucasus.

Tab. XV. Sarmatia; Scythia intra Imaum.

• XVI. Palaestina; Pasitigris.

• XVII. Regiones intra Tigrim et Gangem; Scythia extra Imaum.

• XVIII. India intra Gangem et extra; Sinae; Taprobane.

• XIX. Arabia.

• XX. Aegyptus.

• XXI. Africa.
